



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

2. Tempus & Occasio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

Et nova sunt semper : nam quod fuit antè , relictum est ,
Fitque , quod haud fuerat : momentaque cuncta novantur.

II. (b) Celebrata est illa Pittaei , unius è septem Græciæ sapientibus sententia : *ῥῶδι καὶ ῥῶδι* , noveris tempus . Neque sine causa veteres *Opportunitatem* seu *Occasionem* divinitate donarunt . Eius dea fuit hæc effigies : Virgo insitebat rotæ pennatis pedibus , seque ipsam in orbem eclerrimo gyro circumagebat , priore capitis parte capillis longis hirsuta , posteriore glabra , ut illà facillè prehendi queat , hac nequaquam ; hinc verficulus :

Fronte capillatâ , post est Occasio calva .

Eius comes dicitur esse *Metanæa* seu *Pœnitentiæ* : nam semel elapsam frustra suspires , revocésque . Quapropter Theophrastus , Laërtio teste , semper in ore habebat , *nullum esse sumptum pretiosorem tempore* . Egrege de hoc argumento Seneca epist. 9 . Ita fac , mi Lucili , vindica te tibi , & tempus , quod adhuc aut auferebatur , aut surripiebatur , aut excidebat , collige & serva . Persuade tibi hoc sic esse , ut scribo : quædam tempora surripiuntur nobis , quædam subducuntur , quædam effluunt : turpissima tamen est jactura , quæ per negligentiam fit . Omnia aliena , tempus tantum est nostrum . Ad pretium Temporis indicandum Antiqui tres diei partes hoc modo representabant . Tres virgunculæ , id est , *Hora* ad cæli fores excubandi servant vires . Prima est *Aurora* , veste rubicunda , clepsamidion , quod fluere incipiat , tenens manu . Secunda *Meridies* , candido habitu , sciothericum , seu horologium *Solare* dextrâ præferens . Tertia , *Vespera* , spadicea veste , horologium rotatile gestans ponderibus devolutis . Qui sapit , labentes arenulas , fugientem umbram rotularum devolutionem observat tempestivè . Seneca lib. 1 . de benef. c. 3 . Scribit , *Charites* sive *Gratias & Horas* (quæ occasionis sunt Symbolum) iisdem parentibus esse prognatas , scilicet Jovis & Eurynomes (nempe Themidis seu Pulchræ Legis) filias esse ; *Horas* quidem Seniores , *Gratias* verò juniores : ut significarent Veteres , Gratias Horis , id est , occasioni quasi subesse , abque ea pendere , adeò ut dilationem non ferant , sed horis opportunis præstari debeant aut admitti . Siracides monet c. 14 . *Non defrauderis à die bono , & particula boni doni* (alii legunt , *boni diei*) *non te prætereat* . Græcè *μὴ ἐπιδύπτας ἀγαθῶν* , particula boni desiderii , quasi dicat : In hac vita brevi quia curris ad aternitatem , cave ne ulla verorum bonorum cupido , tibi à Deo immissa , tuò vitiò cadat irrita & cassa .

Bbbb z

(i) III.

(b) Tempus est Occasio.